

DD 121/73/A3

Transcript, Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 35-35v (YAS, MS 650, pp. 108-109).

Sciant presentes et futuri quod ego Isabella, que fui uxor Willelmi de Marton, dedi, concessi et hac presenti carta mea confirmavi Patricio de Marton et Matildi filie Maugeri le Vauasour et heredibus de corporibus ipsius Patricij legitime procreatis, manerium meum de Ashwyht cum omnibus suis pertinentijs, ut in messuagijs, toftis, terris, pratis, pascuis, planis, pasturis, turbarijs, vivarijs, aquis, vijs, semitis, boscis, moris, mariscis, vilenagijs, homagijs et servitijs liberorum tentnium, et eorum wardis, relevijs, maritagijs, eschaetis, sectis curie et molendinorum, et cum omnibus alijs pertinentijs, et approvamentis dicto manerio quoquo modo spectantibus infra villam de Ashwyht et extra. Habendum et tenendum dictis Patricio et Matildi et heredibus de corpore ipsius Patricij legitime procreatis, de me et heredibus meis, et faciendo pro me et heredibus meis capitali domino dicti tenementi servitia inde debita et consueta imperpetuum. Et ego vero dicta Isabella et heredes mei dictis Patricio et Matildi et heredibus de corpore ipsius Patricij legitime procreatis dictum manerium cum omnibus pertinentijs predictis contra omnes gentes warrantizabimus et defendemus imperpetuum. Et si contigat quod predictus Patricius sine herede de corpore suo legitime procreato obierit, quod absit, predictum manerium cum suis pertinentijs predictis Beatricie sorori sue et heredibus de corpore suo legitime procreatis plenarie descendant [sic]. Et si predicta Beatrix sine herede de se legitime procreato obierit, quod absit, predictum manerium cum suis pertinentijs predictis Alicie sorori sue et heredibus de corpore suo legitime procreatis plenarie descendat. Et si contingat quod predicta Alicia sine herede de corpore suo legitime procreato obierit, quod absit, predictum manerium cum suis pertinentijs predictis michi et rectis heredibus meis plenarie revertatur. In cuius rei testimonium presenti carte cyrograffate sigillum meum apposui. Hijs testibus, domino Willelmo de Stopham, domino Maugero le Vauvasour, domino Roberto de Plumpton, militibus, Waltero de Burlay, Willelmo de Castelay, Willelmo de ffarnelay, ffalcās de Lindelay et Willelmo ffacus de Newale et multis alijs. Datum apud Ashwyth die Sabbati proximo post festum translacionis sancti Johannis de Beverlaco, anno regni regis Edwardi filij regis Edwardi tertio.

DD 121/73/A9

Patent Roll, 50 Edw. II., pt. ii, m. 5 (CPR, 1374-1377, 397).

Royal licence for the alienation in mortmain by Roger de Clyfford to the prioress and nuns of Arthyngton, co. York, of the advowson of Malteby by Doncastre, in the same county, not held of the king; and for the appropriation of the church by the prioress and nuns. Havering, 16 Nov., 50 Edw. II [1376].

DD 121/73/A10

Transcript, Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 12v (YAS, MS 650, p. 37).

Omnibus hoc scriptum visuris vel audituris Johannes filius Johannis de Gayrgrave salutem in Domino sempiternam. Noveritis me remisisse, relaxasse et omnino pro me et heredibus meis imperpetuum quietum clamasse Johanni de Estburne totum ius et clamium quod unquam habui, habeo vel aliquo modo habere poteroin futurum in omnibus illis terris et tenementis meis in villa et territorio de Syleysden quibus [sic] habeo ex dono et feoffamento Johannis Coule de Sylexden. Ita quod nec ego predictus Johannes nec heredes mei nec aliquis alius nomine nostro aliquod ius nec clamium in dictis terris et tenementis exigere vel vendicare poterimus in futurum. In cuius rei testimonium sigillum meum apposui. Datum apud Sylexden, die Iovis proximo post festum exaltacionis sancte crucis, anno regis Ricardi secundi post conquestum Anglie sexto.

DD 121/73/A19

Transcript, Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 1 (YAS, MS 650, p. 2).

Sciunt presentes et futuri quod ego Ricardus Kyghlay, armiger, dominus de Kyghley, dedi, concessi et hac presenti carta mea confirmavi Johanni Whitacres de Wylsden, yoman, unam parcellam terre mee in Kyghley predicta iacentem inter simiterium ecclesie de Kyghley et unum croftum in tenura Willelmi Maxson, continentem in se sex virgas in latitudine et octo in longitudine, et plus, si potest invenire inter predictas metas. Habendum et tenendum predictam parcellam terre cum pertinenciis prefato Johanni, heredibus et assignatis suis imperpetuum de me et heredibus meis per servitium militare quantum pertinet ad tantam terram, et per servicium quatuor denariorum annuatim solvendorum mihi prefato domino et heredibus meis ad festa Pentecostes et sancti Martini in yeme per equales porciones. Et ego vero predictus Ricardus et heredes mei predictam parcellam terre cum pertinenciis prefato Johanni, heredibus et assignatis suis contra omnes gentes warantizabimus et imperpetuum defendemus. In cuius rei testimonium huic presenti carte mee sigillum meum apposui. Hiis testibus, Johanne Underwod, Thoma Grenehode, Roberto Hertclay et alijs. Data octavo die mensis Januarij, anno regni regis Henrici septimi duodecimo.

DD 121/73/A21

Transcript, Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 72 (YAS, MS 650, p. 237).

Omnibus Cristi fidelibus ad quos presens scriptum indentatum pervenerit Brianus Roccliffe, armiger, salutem. Cum ego prefatus Brianus habeo et teneo manerium de Steton ac alia terras et tenementa, redditus, reversiones et servitia cum pertinentijs in Steton predicta in comitatu Eboracensi ad terminum vite mei prefati Briani, reversione inde Ingelramo Clyfford, armigero, filio prenobilis Henrici comitis Cumbrie, et Anne uxoris sue et heredibus ipsius Ingelrami de corpore ipsius Anne legitime procreatis etc. remanere rectis heredibus ipsius Ingelrami etc. Datum 7. Aprilis 29. H. 8.

DD 121/73/A23

Patent Roll, 4 Edw. II., pt. i, m. 16 (CPR, 1307-1313, 279).

Royal inspeximus and confirmation of a writing, 18 April, 28 Edw. I., by which James de Eston grants to the prior and convent of Boulton-in-Craven his manor of Apeltrewyk, with the entire demesne of the manor and its appurtenances, liberties and easements, together with its mines, waifs, tolls and stallages. York, 16 Aug., 4 Edw. II. [1310].

Transcript of the original grant--now Halton Place, Yorke Records, No. 9--Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 10 (YAS, MS 650, pp. 29-30)

Sciant presentes et futuri quod ego Jacobus de Eston concessi, dedi et hac presenti carta mea confirmavi Deo et beate Marie et religiosis viris priori et conventui de Boulton in Craven et eorum successoribus, totum manerium meum de Apeltrewyk cum toto dominio eiusdem manerij et cum omnibus suis pertinentiis, libertatibus et asiamentis dicto manerio qualitercunque pertinentibus, una cum mineris, wayvis, tolloniis et stallagiis, sine ullo retenemento. Habendum et tenendum predictis priori et conventui et eorum successoribus de domino Rege et heredibus suis in liberam et puram elemosinam imperpetuum. Et ego vero predictus Jacobus et heredes mei predictum manerium cum omnibus suis pertinentiis sicut predictum est predictis priori et conventui et eorum successoribus warrantizabimus imperpetuum. In cuius rei testimonium presenti carte sigillum meum apposui. Hiis testibus, dominis Thoma de Alta Ripa, Roberto de Stiueton, Henrico de Kygheley, Johanne Giliott, mylitibus, Reynero de Knol, Willelmo de Hebbedene, Willelmo de Marton, Elia de Thresfeild, Euerardo Fauuel, Willelmo de Cestreund, Willelmo Desert et aliis multis. Datum apud Apeltrewyk, octavo decimo die Aprilis, anno regni regis Edwardi filij regis Henrici vicesimo octavo.

DD 121/73/A28

Transcript, Bodl., MS. Dodsworth 83, f. 30-30v (YAS, MS 650, pp. 94-95).

Hec indentura facta inter me, Elizabetham nuper uxorem Johannis Bold, militis, et postea uxorem Gilberti Scaresbreke, ex una parte, et Brianum Bolde filium meum ex altera parte, testatur quod, cum predi[c]tus Brianus nuper possessionatus existat in omnibus terris, tenementis, homagijs, redditibus et serviciis cum suis pertinentijs in villa et territorijs de Carleton et Yolisom in Cravyn, que nuper fuerunt Johannis Dautre, militis, patris mei dicte Elizabethhe, in villa et territorijs predictis, super quam quidem possessionem dicti Bryani ego dicta Elizabeth[a] per scriptum meum relaxavi dicto Briano totum ius, titulum clameum et possessionem que habui in eisdem terris, tenementis, homagijs, redditibus et servicijs cum suis pertinentijs in villa et territorijs predictis, prout in eodem scripto meo plenius apparet, cuius tenor sequitur in hec verba:

Noverint universi per presentes me dictam Elizabetham, quondam uxorem Johannis Bold, militis, et nuper uxorem Gilberti Scaresbreke, iam defuncti, in pura viduetate mea remisisse, relaxasse et omnino pro me et heredibus meis imperpetuum quietum clamasse Briano filio meo et heredibus de corpore suo legitime procreatis totum ius et clameum que habeo seu habere potero in futurum in omnibus terris, tenementis homagijs, sectis et serviciis cum pertinentijs suis in villis et territorijs de Carleton, Yolesun cum Lederisden in Craven, que descendebant michi nostre [sic; recte, 'iure'] hereditar' post mortem Johannis Dautre, militis, patris mei. Ita vero quod nec ego, nec heredes mei, neque aliquis alius in nomine meo aliquod ius vel clameum in eisdem vel in aliqua parcella eorundem exigere vel vendicare poterimus in futurum, set ab omni accione iuris seu clamei inde simus exclusi imperpetuum per presentes. In cuius rei testimonium presentibus sigillum meum apposui. Datum vicesimo die mensis Julij, anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo tertio.

noveritis me dictum Bryanum dedisse, concessisse et per hanc presentem indenturam confirmasse dicte Elizabethæ omnia terras, tenementa, homagia, redditus et servicia cum pertinentiis in villa et teritoriis predictis, exceptis illis terris, tenementis, redditibus et serviciis cum pertinentiis que predictus Bryanus tenet coniunctim cum Isabella uxore sua. Habendum et tenendum dicte Elizabethæ pro termino vite sue, sine calumnia vasti, omnia predicta terras, tenementa, homagia, redditus et servicia cum suis pertinentiis, tenenda de me et heredibus meis per servicia unius rose tempore rosarum pro omni servicio. Et ego vero dictus Bryanus et heredes mei omnia predicta terras, tenementa, homagia, redditus et servicia cum pertinentiis, exceptis preexceptis, prefate Elizabethæ pro termino vite sue contra omnes gentes warrantizabimus et defendemus. In cuius rei testimonium partibus huius indenture partes predicti sigilla sua alternatim apposuerunt. Hiis testibus, Willelmo Plompton, Ricardo Hamerton, militibus, Willelmo Middleton, armigero, et alijs. Datum vicesimo sexto die Junij, anno regni regis Henrici sexti post conquestum Anglie tricesimo quarto.